

præsenti etiã coniuges. Sic raptor puellæ A desponsatæ, & sponsa prostituens se ad-  
ulterij pœnam incurrebat in lege. Sed  
pactio Iacobi de Rachel erat de futuro:  
ducam post septem annorũ seruitutem.  
Proprie igitur nondum vxor erat, sed  
sponsa. **QVIA COMPLETI SVNT  
DIES MEI.** Ratio petitionis ab æquo;  
quia absolui seruitium septenne. Ergo  
debetur mihi sponsa ex pacto. Sic recte  
exponit Onkelos: *Completi sunt dies serui-  
tutis mee.* Aliqui volunt Iacobum præte-  
xere ætatem ingrauescentem: sed aliene. **B**  
**VT INGREDIAR AD EAM.** Nempe in  
cubile & vt sponsus thorum. Phrasi hac  
verecunde cõiugalem concubitum scri-  
ptura notat. Exacto seruitutis tempore,  
& conditione pactiois fideliter præsti-  
ta, non tamen rapit, sed à parête sibi tra-  
di petit vxorem. Ita quod iustum est, dis-  
camus iuste persequi. Docet vero, con-  
iugium à liberis tunc legitime contrahi,  
cum sit parentum consensu & traditio-  
ne. Id Canones etiam volunt 32. quæst.  
2. c. non omnis. *Cum dicuntur paterno arbitrio  
femina iuncta viris, datur intelligi, quod pater-  
nus consensus desideratur in nuptiis: nec sine eo  
legitima nuptia habeantur, iuxta illud Euaristi  
Pape: ALITER non sit legitimum coniugium,  
nisi à parentibus tradatur.*

**22. CONGREGAVIT ERGO LABAN.**  
Coniuiũ nuptiale focer instituit cõuo-  
catis omnibus viris illius loci, hoc est, ci-  
uibus vrbs Haran. Synecdoche pro plu-  
rimis. Iam olim ob dignitatem matri-  
monij nuptiæ solebant solennitatibus **D**  
coniuialibus celebrari, etiam apud Iu-  
daeos; vt historia sacra vtriusque Testa-  
menti docet. Iud. 4. nuptiæ Simsonis  
durabant septem dies. Sic nuptiæ To-  
biæ celebratæ leguntur cap. 14. & nuptiæ  
Canenses Iohan. 2. & c. Licet vero non  
sit de substantia matrimonij celebritas  
nuptialis: est tamen in ea honestas & de-  
centia, & ingens Reipubl. utilitas, tum  
quo matrimonialis contractus testator  
existat, tum quo coniuges & filij nati co-

gnoscat̃ur legitimi, & liquide discernan-  
tur ab illegitimis. Qua de causa etiam  
noue nupti in Ecclesia publice renun-  
ciantur, & solenni benedictione inau-  
gantur.

**23. FVIT AVTEM VESPERI, AC-  
CEPIT LEAH.** Dolus Laban plane le-  
nõnius patre indignus. Nuptias facit,  
cum Rachele, quam haud dubie tradidit  
in ciuium cõspectu. Vesperi pro Rache-  
le supponit Leam: ad quã Iacob ingres-  
sus est maritaliter ratus esse dilectissimã  
sponsam Rachelem: In quo dolo turpif-  
simo multiplex peccatum occurrit. *Pri-  
mo* Laban peccat in se perfidia; quia con-  
tra pacta non dat vxorem quam debe-  
bat; dat vero eam, de qua non interue-  
nerat consensus & pactum. *Secundo* pec-  
cat in Leam filiam, quam inducit, vt stu-  
prum patiatur à non marito, & periculo  
perpetuæ infamiæ exponit: quia si Iacob  
noluisset eam retinere vxorem, flagitio-  
so stupro infamis erat futura. *Tertio* pec-  
cat in Rachelem, quam dilectissimo suo  
sponso fraudat. *Quarto* denique peccat  
in Iacobum, cui nõ solum sponsam per-  
fide furatur, sed etiam ad se pollendum  
incesto adulterio, quod fuit in concubi-  
tu cum germana sorore legitimæ vxoris,  
eum inducit. Etsi autem flagitiose pec-  
cat Laban adducens Leam Iacobo: tamẽ  
& ipsa peccat auscultando patris turpi  
consilio, & non solum sorori debitum  
torum præripiendo, sed etiam volunta-  
rie stuprum faciendo. Iacob etsi errore  
excusatur à stupro & adulterio: quoniam  
affectu maritali cognoscit alienam pro  
sua; tamen negligentia culpa omni-  
no non vacat. Circumspectus enim to-  
rum maritalem curare & adire debuit.  
recte tamen socero dolum imputat, &  
perfidiam exprobrat.

**25. MANE FACTO ECCE ERAT  
LEAH.** Quod fraudem noctu non ani-  
maduertit, apparet. In tenebris enim  
discernere non potuit sponsam suam ab  
aliena. Et Leah seu virginali pudore,  
e seu

*Labanis do-  
lus supposita  
Lea turpissi-  
mus.*